

vel genere, vel nuptiarum jure junguntur, Nov. 120. cap. 5. Quod si vel legitimis modis avocatum fuerit feudum, uti ex. gr. contingit extinctis vocatorum omnium gradibus, & prædium Ecclesiæ olim infeudatum, ad plenum Ecclesiæ dominium revertatur; vel emphyteusis etiam finem habuerit, minimè licebit Prælato, sine causa iterum rem in feudum, vel in emphyteusim concedere. Id docet in primis recta ratio; etenim cum Ecclesia primùm infeudavit, aut in emphyteusim concessit, non eo animo fuit, ut bona perpetuò à se abdicaret, sed ut eadem post certum tempus integra recuperaret. Ab hoc autem Ecclesiæ animo recedit Prælati, si iterum post devolutionem aut feudum, aut emphyteusim concedat, imò & in hanc renovatione feudi, vel emphyteusis, suum potius, quam Ecclesiæ negotium gerit, contra quam legibus publicis caveatur. Quid verò argumenta quæram, quando Paulus II. in extravag. un. de rebus Eccles. non alien. id expressè definiivit, dum ait, Prælatos posse contractum emphyteuticum celebrare in bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate? Qui contra sentiunt, proferunt in medium capitulum 2. de feudis, ubi Innocentius III. Mediolanensi Archiepiscopo rescripsit, posse eum liberè concedere feudum alteri, postquam vasallus obierit, & feudum ad Archiepiscopum reversum fuerit. Ex particula liberè deducunt, frustrà desiderari novam infeudandi causam. At enim hæc interpretatio verbis ipsis, nedum menti Innocentii III. repugnat. Ait Innocentius, posse Archiepiscopum alteri fundum concedere, si viderit expedire. Quod tendit hæc clausula, nisi eò, ut tum demum Episcopus iterum infeudaret, cum Ecclesiæ utilitas id postularet? Itaque verbum liberè eo spectabat, ut non opus haberet Mediolanensis Archiepiscopus confugere ad Apostolicam Sedem, cui

jurejurando pollicitus fuerat, ut in eodem capitulo dicitur, se nihil inconsulto Romano Antistite infeudaturum. Hoc jusjurandum singulare erat, quo promiserat Episcopus, se non infeudare de novo, Romano Pontifice inconsulto. Nihil id habebat commune, aut cum ordinariis solemnitatibus, aut cum causa infeudandi. Eam ob rem respondit Innocentius, propositam speciem in jurejurando præstito minimè contineri. Adde posse, perspicuè ex eo capitulo non constare, an feudum liberè omninò reversum fuisset ad Mediolanensem Ecclesiam; an potius ita reversum esset, ut mortuo primo vassallo, aliis ex primæ investituræ lege vocatis esset concedendum, putà filiis, vel agnatis. Reverà idem Mediolanensis Antistes etiam de filiis, vel agnatis Innocentium interrogavit, quo in casu per vasallum feudum alienaretur, uti liquet ex eodem capitulo. Cur non de eisdem agnatis, aut filiis præsumi potest interrogavisse, quo casu vasallus decederet? Ubi ista species Innocentiano rescripto adtingatur, cum invicem magis, & interrogaciones, & responsa maximè cohærebunt, tum etiam liquebit, ibi non agi de propria, sed de impropria reinfeudatione, nimirum agi de renovatione investituræ faciendæ gratia illius, qui ex prima investitura jus habebat ad feudum petendum, atque impetrandum.

Hæc Prælatorum ecclesiasticorum potestas in alienandis legitima interveniente causa rebus Ecclesiarum, nunquam fuit, neque est adeo libera, ut valeant ipsi causa cognita sine certis solemnitatibus ad alienationem procedere. Debebant olim ipsi consilium, sive consensum cleri sui exquirere, & saniora cleri suffragia sequi, quod recentioribus sæculis, postquam Capitula Cathedralium Ecclesiarum in universa cleri jura successerunt, idem fuit, ac dicere, teneri Episcopos consilium, vel consensum sui Capituli exposcere, can. 51. 52. caus. 12. quæst. 2., cap. 1. 2. 3. 4.

4. 5. 8. 9. de his, quæ fiunt à Prælat., cap. 1. & 2. de rer. permut., cap. 2. 3. 7. in fine de donat., cap. 1. & 2. de reb. Eccles. non alien. in 6., Clement. 1. & 2. eod. tit. Imò si de spectabilium rerum alienatione ageretur, certis in Provinciis causa erat in Provinciali Concilio discutienda, ac probanda; etenim apud veteres obtinebat, ut Episcopi etiam cum cleri sui consilio, sine comprovincialium consensione, graviora diœceseos suæ negotia non perficerent, can. 1. & 2. caus. 9. quæst. 3., præsertim quòd Episcopi suffraganei rationem gestorum suorum in Provinciali Synodo reddere tenerentur, & quidem frequentissimè, dum aut singulis annis, aut singulis saltem trienniis Provincialia Concilia celebrabantur. Adde his, quemadmodum inferiores Clerici jurejurando spondere recentioribus sæculis consueverunt, se inscio Episcopo ordinatore bona beneficii per ordinationem adepti non alienaturos; ita etiam Episcopos tempore suæ consecrationis spondidisse consecratoribus, quales erant Metropolitanis cum Suffraganeis, se bona Ecclesiarum non alienaturos. Huc spectat definitio Concilii Agathensis, quæ habetur in can. 53. caus. 12. quæst. 2., dummodò legatur non juxta Gratianeam editionem, sed juxta integra Agathensis Concilii exemplaria. Ita legitur in Agathensi Concilio: *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesia minus utiles, aut longè positas parvas Episcopus sine Concilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.* Germana hæc est Concilii Agathensis sententia. Si de prædiis minus utilibus, iisdemque non gravis momenti, alienatione necessaria agendum sit, ea facultas Episcopo conceditur, quin opus habeat rem deferre ad Concilium Fratrum, id est ad Concilium comprovincialium Episcoporum. Jam generaliter statutum erat in eodem Agathensi Concilio, ne Episcopi bona Ecclesiarum alienarent, can. 1. caus. 10. quæst. 2. Ubi aliud necessitas, vel utilitas Ecclesiæ postularet, facultatem concesserunt

Episcopis iidem Patres Agathenses, ut alienare valerent, re tamen apud Comprovinciales Episcopos comprobata, can. 3. vers. *Quibuscumque modis* caus. 10. quæst. 2., quod fragmentum est Agathensi Concilio tribuendum. Deinde in dicto can. 53. caus. 12. quæst. 2. exceptionem adjecerunt Patres Agathenses, qua declararetur, non opus esse Concilio comprovincialium Episcoporum, si suadente necessitate alienandæ essent terrulæ, vel vineolæ exiguæ, Ecclesiæ minus utiles, & longè positæ. Hæc sanè perspicuè erant demonstranda, ut patet fieret crassa vulgarium Interpretum ignorantio, qui ad ejusdem canonis 53. interpretationem accedentes, nihil aliud in Gratianæ editionis conspectu tradere sciverunt, quam Episcopum in alienatione rerum levioris momenti absolutum esse ab universis solemnitatibus, nec teneri ad poscendum consensum, vel consilium cleri, quia pro illis verbis *sine Concilio fratrum*, legerunt *sine consilio fratrum*, quod tamen nec verbis canonis, nec sententiæ Agathensis Concilii ullo modo consonat. Itaque perpetua, & constans Canonum traditio est, Episcopum in hac parte teneri, cleri, Capituli que sui consensum exquirere. Recentiore ætate parum placuit quibusdam Episcopis hæc disciplina, præsertim quòd jam multæ prodiissent inter Episcopos, & Capitula contentiones; nec satis opportunum Episcopis videbatur, à consilio, vel consensu Capituli executionem decreti alienationis causa pendere. At obsistebat jus commune, quod Capitulum jura fovebat. Hinc cœperunt Episcopi iidem confugere ad Apostolicam Sedem, cujus auctoritas cum intercessisset, actum erat de solemnitatibus ordinariis; atque Episcopi liberi omninò à necessitate exposcendi consensus à Capitulo ad alienationem progrediebantur. In his adjunctis passim tradebatur, ad alienationem alterutrum requiri, nimirum vel consensum Capituli, vel auctoritatem Apostolicæ Sedis, primum ex disciplina juris communis,

alterum extra ordinem, cap. 9. in fine de iis, quæ fiunt à Prælatiis. Neque aliter ego intelligere possum, quod dicitur in cap. ult. de reb. Eccles. non alien. in 6., non posse Prælatos bona Ecclesiarum alienare absque Capituli sui consensu, & Apostolica Sedis licentia speciali. Etenim non aliter necessariò intervenire debuit licentia specialis Apostolicæ Sedis, quam si Capituli consensus deesset; nec novum est, copulativam particulam & aliquando pro disjunctiva vel usurpari, l. 53. ff. de verb. sign., quod in proposito admodum verosimile est, propterea quod Clemens V. in Clem. 1. & 2. de reb. Eccles. non alien., editis sanè post laudatum capitulum ultimum, nullam de facultate à Romano Pontifice impetranda fecerit mentionem, quam sanè fecisset, quoties semper necessariam censisset, nisi malis dicere, dictum capitulum ultimum singulare esse, ac spectare donationes illas, quæ improvidè gratia laicorum fiebant, uti tradit Vanespen in operibus posthumis ad canones Concilii Lugdunensis. Postrema ætate aliud jus invaluit, quo passim receptum est, neminem ex Prælatiis sive sæcularibus, sive regularibus quacumque ex causa bona Ecclesiæ alienare posse, nisi impetrata à Romano Pontifice alienandi facultate. Hic subsistendum paulisper est, ut hujus disciplinæ origo, progressus, & ratio demonstraretur.

Passim traditur, huic disciplinæ invenendæ causam dedisse constitutionem Pauli II. in extrav. un. de reb. Eccles. non alien., quæ magis confirmata dicitur ex consuetudine jurisjurandi formula, quam apud Pontificem Maximum adhibent universi Episcopi, dum à Romano Antistite consecrantur, profitentes se non alienaturos bona Ecclesiæ suæ sine facultate à Sede Apostolica impetrata. Quænam sit Pauli II. sententia, modò indicabo. Interea prænotare juvat, jusjurandum, quod hodie Episcopi præstant Romano Antistiti consecratori, illud ipsum esse, quod olim Episcopi præstabant Metropolitanis, cum à

Metropolitanis ordinabantur, quamquam pro modo temporum, locorum, & causarum, modò quædam veteri formulæ adjici, modò detrahi debuerunt, argumento capituli 4. de jurejur. Olim nemo ignorat, à Metropolitanis consecrari consuevisse Antistites suffraganeos; tempore consecrationis multa pollicitos fuisse Episcopos consecratori Metropolitanano, atque inter cætera, se sine Metropolitanis consensu res Ecclesiæ suæ præsertim magis conspicuas non alienaturos, quod quidem consonat vetustissimæ disciplinæ à me modò indicatæ. Facile hinc fuit, novam recipere consuetudinem, qua Episcopi alienaturi confugiant ad Apostolicam Sedem, eodem modo, quo hodie Episcopi solent certis temporibus limina Apostolica visitare, propterea quod hodie id spondeant consecratori Pontifici Maximo, quando tamen olim, cum Episcopi consecrarentur à Metropolitanis, spondebant Metropolitanis consecratoribus, se visitaturos identidem Ecclesiam Metropolitanam, seu, quod idem erat, ad Provinciale Concilium accessuros. Hæc cum ita sint, duo facile colliguntur. Primum est, recentem hanc consuetudinem non alienandi inconsulta Apostolica Sede ex immutata disciplina consecrationis Episcopalis, seu ex reservatione Episcopalis ordinationis Pontifici Maximo facta, originem duxisse. Alterum est, eam consuetudinem, quousque aliud in medium non proferatur, locum non habere, quibus in locis consecratio Episcopi non pendet ab Apostolica Sede. Formula jurisjurandi hæc est juxta Pontificale Romanum: *Possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ inconsulto Romano Pontifice; & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrite volo.* Ut mihi videtur, singularis est jurisjurandi formula, & spectat tantum bona Episcopalis mensæ; de bonis, quæ ad mensam Episcopalem non pertinent,

ni-

nihil dicitur. Deinde notatu dignum est, in hac formula profiteri Episcopum, se, si contra jusjurandum veniat, incursum in pœnas contentas in quadam super hoc edita constitutione. Quid sibi vult hæc indefinita protestatio? Quid non specialis constitutio nominatur, sed dicitur incerta, minus nota, seu quadam constitutio? Pandamus difficultates, easdemque, si fieri potest, enodemus. Passim hujus constitutionis nomine intelligitur constitutio Pauli II. in extrav. un. de reb. Eccles. non alien. Hæc constitutio est, quam Pragmatici passim prædicant, quæ per ora omnium volitat, quando de alienatione rerum ecclesiasticarum agitur. Hæc illa constitutio est, in cuius conspectu offusæ sunt tenebræ, & variis involucris tecta sunt multa. Hæc illa constitutio est, quæ postremo loco hic est exhibenda.

Tres habet nova hæc Paulina constitutio partes: præfationem, prohibitionem, sanctionemque pœnalem. In præfatione proficitur Paulus, se occurrere velle ausibus, quibus Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum Rectores bona ecclesiastica, aut religiosa profanis usibus applicabant, aut usurpabant; quæ sanè indicant, eò intentum fuisse Pontificis animum, quò curaretur, ut bona illa numquam profana fierent, proindeque non cogitasse illum de contractibus, aut pactis, in quibus mutua Ecclesiarum invicem paciscentium utilitas versaretur. In prohibitione statuit Paulus, ne eadem res, ac bona distraherentur, transferrentur, hypothecæ subicerentur, locarentur ultra triennium, concederentur in feudum, vel in emphyteusim, præterquam in casibus ab jure permissis, ac de rebus, & bonis ab antiquo in emphyteusim concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt, prædecessorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ innovare se dixit, in suo nihilominus robore permansuris. In sanctione pœ-

nali decrevit Paulus, primò, ut alienatio contra eam constitutionem facta nullius momenti sit, & bona distracta ad Ecclesiam, aut ad locum religiosum revertantur; secundò, ut tam alienans, quàm is, in quem bona alienata fuerint, sententiam excommunicationis, incurrat; tertio, ut alienanti inconsulto Romano Pontifice, aut contra hujus constitutionis tenorem, si Episcopali, aut Abbatiali fulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit pœnitus interdictus, & si per sex menses pervicax in interdicto perseveraverit, à regimine, & administratione Ecclesiæ, aut Monasterii sit omnino ipso jure suspensus. Quòd si de inferioribus Prælatiis, aut Beneficiariis quibuscumque, aut Commendatariis agatur, eo ipso à beneficiis, quæ possident, vel administrationibus cadant, quæ beneficia, & administrationes, ac si vacant, liberè ab eo, ad quem pertinet, conferantur. Ad expendendam hanc constitutionem, incredibile dictum est, quæ, & quanta commenti Pragmatici fuerint, modò clarius species ibidem propositas explicaturi, modò eam ad species minimè designatas extendentes, modò ejusdem generales formulas ad certos tantum casus contrahentes, nescio, an ubique auctoris mentem fuerint consecuti. Quid amplius dicam, quando ipsi sibi in stabiliendis principiis contradixisse deprehenduntur? Unde fluxit, rem hanc hodie ex usu potius, & receptis moribus regi, quam verbis, & germana interpretatione constitutionis, quod fateri ipsimet Pragmatici debuerunt. Infinitus essem, si Scriptores materiam hanc variis nexibus intricantes recenserem, duos tantum laudabo, Barbosam, & Antonellum, quorum prior in allegat. 95. de offic. Episc. num. 55., postquam tradidit, sine ea solemnitate posse invicem permutari bona Ecclesiarum, subjecit num. 57., in praxi servari contrarium; & posterior in lib. 1. de regimine Ecclesiæ Episcopalis cap. 8. §. 3., postquam in eadem specie idem se sentire professus fuerit,

Mm 2

non

non dubitavit adjicere; quidquid sit de jure, contrarium in praxi servari. Dabo paucis contractas illorum ferè omnium interpretationes. In eo in primis constitutionem explicaverunt, quòd etiam de mobilibus pretiosis conceptam integram constitutionem voluerint. Neque ego in hoc repugno, quoniam de iis expressa mentio saltem in præfatione habetur. Sed quoties deliberandum est, an exceptio admittenda sit, cæteroque à Pragmaticis eisdem probata, nimirum non comprehendi casum, quo ad reparandam, instaurandamve Ecclesiam pretiosa mobilia sint distrahenda, quando alios quoscumque casus, utut æquè graves, fortè etiam graviore, comprehendendi generali interdicto scripserunt, meritò postulare dissimilitudinis causas, ubi Paulus ne verbum quidem habet de singulari proposita exceptione. Insuper ubi de contractu emphyteutico sermo habetur, tradiderunt, ad hunc tantummodò actum referri illa verba, *præterquam in casibus ab jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate*; quamobrem dixerunt, tria omninò requiri ad emphyteusim liberè à Prælato faciendam: primùm, ut sit casus ab jure permissus; alterum, ut res ea sit, quæ in emphyteusim dari consueverit; postremum, ut hæc fiat cum evidenti Ecclesiæ utilitate; imò & his duo alia adjecerunt; primùm, ut forma præcedentium concessionum in concessionem nova minimè varietur in detrimentum Ecclesiæ; deinde, ut res concedi in emphyteusim solita, necdum sit inter bona Ecclesiæ, uti loquuntur, incorporata, sive in censum relata, ac descripta, de quibus duabus adjectionibus altum est in Paulina constitutione silentium. Si verba illa, *præterquam in casibus ab jure permissis* ad solam emphyteusim speciem sunt referenda, Pragmaticos rogo, ut indicent, quomodò non sint ea verba prorsus inutilia; etenim in subsequentibus conditionibus, *ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo conce-*

di solitis, & tunc &c., designatur casus jure permissus, extra quem nulla emphyteusim concessio fieri potest quando verum est, quemadmodum & ipsi tradunt, tres illas conditiones simul & una requiri. Præterea cum de assensu Romani Pontificis mentio fiat in constitutione, statuerunt, ut præcedere alienationem debeat, non subsequi, quasi formam contractui det, non locum teneat veteris solemnitate consensus Capituli, qui parum intererat, an alienationem faciendam præcederet, an succederet factæ, cap. 3. de his, quæ fiunt à Præl., quamquam non ignoro, traditum esse à pluribus, alienantem sub conditione impetrandi, obtinendique consensum Apostolicæ Sedis, interea esse à pœnis constitutionis immunem, dummodò ab alienante interea nihil juris, ne per clausulam quidem constituti, recedat. Item ubi devenerunt ad expendendam pœnam legi adjectam, qua fit, ut alienatio contra constitutionem facta irrita habeatur, & bona ad Ecclesiam revertantur, addiderunt, non solum id intelligendum esse de rebus ipsis distractis, sed & de earum fructibus, non à die motæ litis, sed à die alienationis: item addiderunt, pœnam illam esse inductam unius Ecclesiæ gratia, nihilque prodesse posse iis, qui res ex alienatione possideant; eamque ob rem possessorem allegare non posse irritam alienationem, si fortè damnum senserit, data duntaxat Ecclesiæ facultate, rem distractam repetendi, si Ecclesia detrimentum sensisse proponat. Non hîc substiterunt Pragmatici, sed constitutionem ipsam ad quosdam casus ibidem non expressos extenderunt, in eo primùm, ut locum habeat prohibitio, etiam cum de Ecclesia in Ecclesiam, de Monasterio in Monasterium, de religioso loco in locum religiosum alienato fiat, contra quam Paulus II. in præfatione suadere videatur; secundò extenderunt in eo, ut abolitas omninò voluerint veterum solemnitates, nec amplius alienatio admittatur ex necessitate, vel maxima utilitate Ecclesiæ fac-

facta & communi totius Capituli consensione comprobata, quando conjici adhuc posset, alium visum fuisse Paulo II., seu cum præfatus est, ambitiosæ cupiditati illorum occurrere voluisse, qui cum maximo detrimento divini cultus sibi Ecclesiarum bona usurpant, seu cum exceptionem adjecit, *præterquam in casibus ab jure permissis*, seu cum testatus est, se decreta alia in eadem re olim edita renovasse, in suo nihilominus robore permansura, seu denique cum in sanctione pœnali conclusit, puniri illos, qui alienavissent non præcisse quidem Romano Pontifice inconsulto, sed *inconsulto Romano Pontifice; aut contra constitutionis tenorem*; & quando in præcedentibus verbis nihil de consensus Papæ necessitate dicitur; levissimæ sunt conjecturæ; quibus deducatur, abolitas inde esse solemnitates à priscis vigilantissimis Patribus excogitatas, inventas, & longa sæculorum serie confirmatas; neque enim, ut ait Gregorius IX. in cap. 57. de elect., credendum est, Romanum Pontificem, qui jura tuetur, quod aliàs excogitatum est multis vigiliis, & inventum, uno verbo subvertere voluisse: jungatur lex 35. cod. de inoffic. testam. Tertio extenderunt in eo, ut sublatam dixerint facultatem expressè à Canonibus factam Prælati, concedendi, uti superius observandum fuit, portionem aut centesimam Ecclesiis, aut quinquagesimam Monasteriis, juxta canonem 74. caus. 12. quæst. 2., juncto cap. 9. de donat., & cap. 9. de his, quæ fiunt à Præl., quando tamen Paulus constitutioni suæ exceptionem adjecit, *præterquam in casibus ab jure permissis*, eo etiam adjecto, ut *prisca decreta in suo nihilominus robore permanerent*. Quarto etiam extenderunt in eo, ut traderent, Prælatos sine consensu Sedis Apostolicæ non posse arbore cedere, excepta sylva cædua, cuius respectu in eis arborum, dummodò tempestivè fiat, & sine fraude, in fructu est. Non minore usi fuerunt libertate Pragmatici in constitutione con-

trahenda: & primò à constitutione exceptum voluerunt casum, quo agatur de re exigua, eaque inculta, & longè posita (quænam res exigua dicatur, multi ex iis indicant, determinantes valorem aureorum viginti, multi amplius quidquam, aut minus, omnes sanè suæ voluntate confisi, unde probabilior videtur opinio illorum; qui quantitatem arbitrio judicis designandam scripserunt, argumento cap. 4. de offic. jud. deleg., & l. 1. in fine ff. de jure deliber.) Si quæramus, quibus argumentis hanc exceptionem probaverint, primùm respondent, Paulum II. excepisse casus in jure permissos, ibi: *præterquam in casibus ab jure permissis*, deinde exhibent canonem 53. caus. 12. quæst. 2., quo ea facultas expressè probatur. Diluant hæc emblemata, quibus se ipsos involvunt, Pragmatici iidem, quando, uti superius observabam, verba illa *præterquam in casibus ab jure permissis*, ad unum emphyteusim contractum pertinere definiverunt, nunc verò mutata sententia ad alienationem rerum exiguarum referunt; imò & abutuntur dicto canone 53., in quo nullum extat hujus exceptionis fundamentum; tantum enim ibidem decretum adparet, posse Episcopum terrulas, & vineolas exiguas sine Concilio Fratrum, id est Comprovincialium Episcoporum, necessitate urgente alienare; quemadmodum insuper habita Gratiana lectione, ut potè depravata, superius Agathensem Canonem interpretatus sum; quod sanè nihil commune habet cum hac ipsa quæstione, in qua agitur de auctoritate Romani Antistitis in præbendo consensu alienationi, quasi Pontificis consensus hodie locum teneat solemnitate ordinariæ, quæ ex jure communi consistit in consensu Capituli. Aliam exceptionem collocaverunt Pragmatici in ea specie, in qua necessitas alienationis urgeat, nec facile possit ad Sedem Apostolicam recursus haberi. Inest hæc exceptio positivis legibus universis, in qua propterea nihil singulare adnotandum occurrit, cum

tia exceptio fit, si de re agatur, quæ necessariò, seu ex juris præcepto sit alienanda, uti contingit in ea specie, qua Ecclesia heres instituta legato, seu fideicomisso gravetur; tunc enim liberè rem legatam transferet, & fideicommissam alienabit, argumento legis 13. ff. famil. erisc. item in ea specie, qua monasterium acquirendo incapax, bona immobilia adquirat ad effectum vendendi, & pecunia inde redacta utendi, cap. 3. vers. *Ad hac quia fratribus* de verb. sign. in 6. Non contradico: tantùm adnoto, vix nomine tenus has alienationes dici posse; cùm in utraque specie res verè quæ sita Ecclesiæ, vel Monasterio non intelligatur. Quarta exceptio verbis ejusdem constitutionis probatur, nimirum de rebus mobilibus non pretiosis, & quæ servando servari non possunt, potissimum autem quæ usu consumuntur, argumento l. 22. cod. de admin. tutor., & leg. ult. cod. quando decreto opus non est. Quintam adjiciunt exceptionem, ubi agatur de infeudatione rei, quæ sit infeudari solita, in qua idem dicunt recipiendum, quod in emphyteusi recipitur, uti superiùs traditum est argumento cap. 2. de feudis. Verùm arbitraria isthæc à similibus argumentario percipi à me, ut candidè fatear, nequit; quando iidem Pragmatici verba *præterquam in casibus ab jure permissis* ad solam emphyteusim coërcent; nunc verò etiam ad infeudationes protendunt, voluntque, adhuc hodie manere integram disciplinam cap. 2. de feudis, è contrariò abolitum capitulum 9. de donation., capitulum 9. de his, quæ fiunt à Præl., & canonem 74. caus. 12. quæst. 2., quasi, quæ sibi placeant, admittere contentur, rejicere pro lubito, quæ displiceant. Addunt sextam exceptionem in hypotheca generali, agentes, nomine hypothecæ à Paulo II. interdictæ specialem tantùm venire, argumento capituli 5. de reb. Eccl. non alien., in quo de hypotheca duntaxat speciali fit mentio. At in conspectu Paulinæ constitutionis ne-

mo dicet, eas tantùm prohibitas fuisse alienationum species, quæ in veteribus Canonibus, & in dicto cap. 5. prohibentur. Simplex hypothecæ nomen à Paulo usurpatum & generalem, & specialem comprehendit; nam etiam per hypothecam generalem via sternitur ad dominii translationem, tum nimirum, cùm debito satis non fiat. Et quidem Pragmatici ipsi id agnoverunt, proindeque modum adjicientes interpretationi suæ, ad fructus tantùm bonorum generali hypothecæ subjectorum vim constitutæ generalis hypothecæ retulerunt, nimirum ad eum tantùm finem ut creditor fructus nomine Ecclesiæ, vel loci religiosi colligat, donec sibi sit satisfactum. At quis in speciali hypotheca non id ipsum admitteret? Postremam exceptionem collocaverunt in rebus non quæsitis, sed quærendis; has enim scripserunt ipsi, ex justa causa posse etiam specialiter hypothecari, uti contingeret in nova erigenda fabrica obliganda ejus gratia, qui pecuniam ad ædificandum dedit, aut in emendo prædio obligando ejus gratia, qui pecuniam credidit; imò & addiderunt in donatione rei, cujus quidem acquirendæ jus est Ecclesiæ quæsitum, non tamen dominium in Ecclesiam, vel in locum religiosum translatum est, cessare Paulinam constitutionem, quamquam in hac specie dicant cedentem Prælatam adhuc teneri ad indemnem servandam Ecclesiam, tantùm esse à constitutionis ejusdem pœnis immunem. In tot, tantisque præjudicatis opinionibus, quibus Paulina extravagans modò explicatur, modò extenditur, modò coërcetur, quid concludemus germanæ disciplinæ studiosi, quando liberi à præjudiciis Scriptorum non possumus ad constitutionis interpretationem accedere? Ego sanè in hac re candidè fateor, me, quid concludam, pœnitùs ignorare; nisi dicam paucis, parendum esse receptis uniuscujusque provincie consuetudinibus; Etenim scio, in judiciis jus receptum locum sibi præcipuum vindicare; neque novum est, quas-

quasdam leges, utut simplicissimas, usu fuisse coërcitas, aut prorogatas. Quod verò iterum difficultatem movet, illud est, disputare etiam Pragmaticos, an constitutio recepta ubique fuerit; ubi autem recepta proponatur, an recepta fuerit in omnibus. Hoc ipsum est, quod superiùs adnotabam, dum traderem, prohibitas quidem esse locationes ad longum tempus; sed longi temporis locationis alicubi dici ad triennium, alicubi ad viginti, alicubi ad decem, alicubi ad triginta annos quamquam in Paulina constitutione expressè decernatur, ne ultra triennium locationes fiant. Hoc ipsum esse suspicor, quod Episcopi, cùm consecrantur, promittunt, se bona mensæ suæ non alienaturos, & si alienaverint, sese jurejurando subjiciunt pœnis, in quadam super hoc edita constitu-

tione contentis; quadam, inquam, indefinitè; quod recipi ex eo potuit, quia licèt hæc verba ad Paulinam constitutionem referantur, de constitutione tamen agitur non ubique, nec in omnibus suis partibus peræquè recepta, quamque propterea non fuit opportunum expressè, & specialiter commemorare. Quid ergo? Mea hæc erit sententia, nimirum quæ recepta fuisse adparebunt, persecutione esse; at ubi satis non constat de receptis quibusdam interpretationibus superiùs commemoratis, conandum esse bono jureconsulto, ut, quoad fieri possit, omnis controversia ad germanam Paulinæ constitutionis interpretationem exigatur, quam puto unumquemque facile consecuturum, si ad ea, quæ hucusque observata fuerunt, accuratè respexerit.

CAPUT III.

De juribus, & oneribus Beneficiorum, ratione habitâ fructuum, & obventionum, quæ ex beneficiis rediguntur.

Huc referendi sunt tituli 25. 26. & 27. lib. 3.

Quam benè Augustinus ajebat in can. 7. dist. 40. scribens ad Valerium Episcopum suum, à quo recens fuerat ad Presbyteratus ordinem advocatus, & pœnè compulsus, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore (indicantur hoc in loco ea tempora, quibus Ecclesiæ jam cœperant bonis temporalibus abundare) *facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur, sed nihil apud Deum miserius, & tristiùs, & damnabiliùs; item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet!* Id planè verius adhuc dici hodie posset, quan-

do Ecclesia majoribus bonis affluit, & in hac bonorum copia in varias partes inter varios ministros tributa facile gliscere potest avaritia, ambitus, & lucri in dies majoris desiderium apud eos qui plus æquo sibi blandiantur. Quot numero sunt, qui Clericos beneficiarios beneficiorum fructuum dominos esse scripserunt? Quot numero, qui hanc opinionem factis, exemplisque confirmant? Ipsa etiam nomina verenda, quæ olim divinis ministeriis tribuebantur, qualia erant nomina muneris, officii, oneris gravissimi, & similia, immutata sunt, & dulci inducto vocabulo *beneficiorum*, evanuerunt; neque aliter beneficium apud eos, qui rerum corticem considerant, intelligitur, quam si commodum